

pus, qui tamen fidem veram in cordibus suis habent interim latenter, quem certatim sequuntur Practici Theologi ex Anglis.

*An præter notitiam requiratur in fide Assensus, quem Spiritus S. operetur?*

Fidem non constare tantum Notitiâ, sed & correquirere Assensum, qui Judicium quoddam supernaturale, quo citra formidinem oppositi affirmamus & approbamus ea, quæ ex Revelatione innotescunt ob authoritatem dicentis, ostendit primo Scriptura, quæ passim hoc ipsum comprobat. Clare Johannes de recipiente Testimonium DEI, dicit, quod obsignet DEUM esse veracem *Joh. 3. v. 33, Paulus 1. Thess. 2. vers. 13.* & quid quæso est ἐλέγχος μή βλεπομένων nisi certa demonstratio, ut accipit hanc vocem Aristoteles Rheticorum ad *Alexandrum cap. 14* & convictio animi per istiusmodi Demonstrationem, quemadmodum *Artystophanes in Pluto* vocabulum ἐλέγξαι usurpat dicens: nondum me hâc de re convincere potes *Ebraor. 11. v. 1.* secundo *Basilus*, qui in sermone de fidei Confessione sive de verâ ac piâ fide in Asceticis scribit: Est igitur fides eorum, quæ dicta sunt, assentiens approbatio sine ullâ hæsitatione, cum animi persuasione, de eorum Veritate, quæ DEI munere sunt prædicata. Tertio ipsa Ratio; nam quamvis aliquis legat ea, quæ revelata sunt, imo illa etiam quocunque modo intelligat, potest tamen adhuc hærere, vera ne sint an falsa, quæ Menti obversantur, donec flectatur, convincatur, atque ita gloriam det DEO, ut *Paulus* loquitur *Rom. 4. v. 20.* Cavendum itaque primo, nè quis cum Pelagianis dicat, Donum DEI quidem esse, quod Mysteria revelari: suppositâ autem Revelatione & propositione nos posse credere absque illa Gratia interiore, de quo videndus *Augustinus Tomo 6. Heres. 88. & Tomo secundo Epistola 95.* quibus accesserunt Semipelagiani, qui quidem dicebant, nos sine Gratia DEI non posse credere Mysteria supernaturalia, initium tamen fidei ex viribus liberi arbitrii deducebant, ut colligitur ex *August. lib. 2. de prædestinat: Sanctor.* Secundo non accedendum est Pontificis quibuidam Doctoribus, qui actum fidei statuunt supernaturalem tantum quo ad modum, naturalem verò secundum substantiam: pro qua sententia referuntur *Scotus, Occam, Gabriel, Al-*

*P. II. Th. C.*

B b b b b

main